

J.R. BOŠKOVIĆ

DE OBSERVATIONIBUS  
ASTRONOMICIS

RIM, 1742.god.





IND. BR. 3068. /94

INSTITUT ZA FILOZOFIJU  
SVEUČILIŠTE U ZAGREBU  
ZAGREB - AVENUE VUKOVAR 54  
Telefon: 511-841; 611-532; 611-984

# DE OBSERVATIONIBUS ASTRONOMICIS,

*Et quo pertingat earundem certitudo*

# DISSERTATIO

HABITA IN SEMINARIO ROMANO

SOCIETATIS JESU

A

P E T R O C A N E V A R I

*ACADEMICO REDIVIVO*

A N D R E A G I O V A N N E L L I

B E N E D I C T O G I O V A N N E L L I

S. R. I. C O M I T I B U S

Ejusdem Seminarii Convictoribus


Anno MDCCXLII. mense Augufti die XXVIII.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis in via Seminarii Romani.

---

SUPERIORVM PERMISSV.





## DE OBSERVATIONIBUS ASTRONOMICIS,

Et quo pertingat earundem certitudo  
DISSERTATIO.



Uantum sit Recentioris Astronomiæ differen<sup>a</sup>  
Veteri satis patet. Aliæ jam Planetarum Orbite<sup>x</sup>, aliæ distantiæ, aliæ magnitudines, aliæ  
universa systematis mundani compages. Multa,  
quæ a Veteribus pro demonstratis sunt habita,  
ridentur jam vulgo; multa, a quibus abhorre-  
bant Veteres, pro certis atque indubitateis pro-  
ponuntur. Unde tanta dissensio? Dupli pro-  
fecto ex fonte. Primum quidem instrumentis  
utebantur olim crassoribus ad definiendos apparentes cœlestium corpo-  
rum motus; deinde vero præjudiciis quibusdam abrepti, multa vel mi-  
nus certa, vel omnino falsa, per quæ ex apparentibus motibus veros  
colligerent, ita assuebant, ut de iis nihil prorsus dubitarent.

At fieri ne potest, ut quemadmodum veteres illi ridentur a nobis, ita  
hujusc<sup>e</sup> quoque ætatis Astronomia a nostris olim Nepotibus rideatur?  
Viderit sane per hæc tempora id fastigium attigisse facultas nobilissima,  
ut nihil prorsus ejusmodi timeri possit. In instrumentis quidem, post di-  
vinum illud Telescopii, ac Horologii Oscillatori<sup>i</sup> inventum, quæ duo  
sunt potissima Recentioris Astronomiæ præsidia, videtur nihil jam ul-  
terius superesse, quo eniti humana industria possit. A præjudiciis autem  
ita se abhorrete profitetur universa hujus ætatis Philosophia, ut nihil se-  
pius occurrat in omnium Recentiorum libris, quam illud: *Diligenter  
cavendum a præjudiciis. Hypotheses e Physis eliminandas: Observanda  
dili-*

(FV)

diligenter naturæ p̄phenomena , & ex iis tantum , nulla adhibita suppositione , eruendas generales quajdam naturæ leges , quas ab ipso ratiocinante suo præscriptas sibi observes accuratissime , & causas deducendas .

Verum ea quidem magnificentius jactari , quam verius , ita nobis persuasum est , ut licet ingeates per hæc tempora in Astronomia potissimum progressus esse factos , non inficiemur ; tamen quidquid tam ad apparentia cælestium corporum loca subtilius definienda spectat , quam ad vera ex apparentibus deducenda , censeamus id omne plurimis errorum periculis , quæ certo evitari non possint , obnoxium esse , & a minus certis pendere hypothēsibus desumptis e Physica ; quæ quidem quotiescumque Mathesi immiscet secula , semper ambiguatem suam , atque obscuritatem inspergit nobilissimæ , ac intra suos limites certissime facultati .

Id ut innotescat ; in ipsa , quæ jam adhiberi solent Astronomica instrumenta , & in ea Principia , quibus inititur eorum usus , inquiremus diligenter hac dissertatione , qua studiorum nostrorum specimen exhibemus de more , parati quidquid objiciatur dissolvere . Constatit fane , quantum ex incompta luminis potissimum & gravitatis natura , atque affectionibus utriusque , universa pendeat Astronomia ; in qua si demas crassiora quedam , quæ ad apparentem motuum vicissitudinem pertinent ; vix quidquam , aut ne vix quidem invenies , quod erroris suspicionem aliquam , & vero etiam timorem non ingerat .

2. Tribus instrumentis omnes jam Astronomicæ observationes peraguntur : ea sunt Horologium Oscillatorium , Telescopium cum Micrometro , & Quadrans Astronomicus , vel quivis Sector circularis cum dioptris Telescopicis .

3. Horologium dicitur Oscillatorium ab oscillationibus penduli dirigen-  
tis motum minutorum secundorum . Penduli simplicis applicationem ad horologia docuit omnium primus Hugenius opusculo edito anno 1658. , tum detecto Cycloidis isochronismo in hypothesi gravitatis constantis , edidit anno 1673. alterum opus de hoc argumento , in quo & dedit constructionem horologii , cuius oscillationes peragerentur in cycloide , advoluto per vices bñnis laminis cycloidalibus filo , quo virga penduli sustinetur . Licet tamen is multo accuratiora censuerit horologia posterioris hujusc constructionis ; tamen præferuntur per hæc tempora ea , quæ constant virga penduli perpetua , oscillationibus per-  
petuis in arcibus circuli ad sensum æqualibus .

4. Usus omnis horologij est in determinando momento temporis , quo aliqua observatio fit , ut inde eruantur intervalla temporum inter binas , aut plures observationes , per quæ motus cælestium corporum , ac alia multa definiuntur . Satis nota est distinctio temporis apud Astronomos in Verum vel Apparens , quæ duo hic idem sonant , & Medium . Primum est inæquale , secundum est æquabile , si supponitur æquabilis mo-  
tus diurnus ; habetur enim ex divisa proportionaliter per dies veros inæqualitate inducta a motu Solis non æquabili per Eclipticam , & ab obliquitate Ecclipticæ , quam Astronomi dicunt æquationem temporis .

5. Inde

## (V)

re vero, si æquabiliter moveantur. Nihilominus posita eorum æquabilitate, definiri potest hora Astronomica observationis cuiuscunque, notando tempus utriusque meridiei ante & post observationem, & factis ut intervallum temporis inter utrumque Meridiem, ad intervallum inter primum meridiem & tempus observationis, ita horæ 24. ad horam Astronomicam quæsitam.

6. Satis celebris est usus horologii ad determinandas in mari longitudines Geographicas. Notato enim bis meridie in aliquo portu cognito, si motus diurnus bene sumitur ab Astronomis pro æquabili, & bene definitur æquatio temporis, horologium vero per totum navigationis tempus æquabilatem servet, posset semper cognosci momentum temporis, quo in eodem illo portu Meridies contingit; ac observato vel meridie, vel alia hora Astronomica ejus loci, in quo est Navis, quacunque demum apta methodo; inveniretur differentia temporis, quo utrique loco Meridies contingit, quæ redacta in partes Aequatoris exhiberet differentiam quæsitam longitudinis. In eam spem erexitus *Hugenias* plurimum cogitavit de suspendendis ita horologiis, ut æquabilitas servaretur diu etiam inter jaëlationem navium; sed successu res caruit, ut patet ex usu horologiorum ad eam indaginem vel nunquam recepto, vel abrogato.

7. Imo jam Astronomi desperarunt de retinenda æquabilitate horologiorum etiam in ipsa quiete Astronomicarum specularum per longum tempus, inducta aliqua inæqualitate a pluribus causis, de quibus infra. *Grabamus* celeberrimus per hæc tempora instrumentorum Artifex testatur sua horologia perficere 25., vel 30. oscillationes pauciores per testatem, quam per hyemem *Loadini* intervallo unius revolutionis fixarum. Hinc nulla est spes demonstrandi per observationes eam æquabilitatem motus diurni, per quam singulæ revolutiones magno temporis intervallo inter se dissitæ sint prorsus æquidiuturnæ. At nec si ipsam rei naturam inspiciamus satis constabit ejusmodi æquabilitas, cum nec causa motus diurni certo constet. Quin immo in ipsa Hypothesi Terræ motu multa sunt, quæ inducant suspicionem aliquam inæqualitatis, ut actio Planetarum inæqualis in diversas Terræ partes, mutationes partium tam internarum, quam externarum, & alia ejusmodi; ac demum si nulla occurrat ratio dubitandi de inæqualitate, non iccirco constabit nullam esse. Sic motus centri Solis, vel Terræ in hypothesi *Copernicana*, tamdiu habitus est pro æquabili, quem jam Astronomi volunt accelerari perpetuo ab Apogeo ad Perigeum, & viceversa a Perigeo ad Apogeum retardari.

8. Si autem ab observationibus non deducatur æquabilitas motus diurni, nec ulla ratione constet, imo si ea, seclusis omnibus prejudiciis, incerta sit; quam multa oportet incerta esse, quæ ab ea pendent? Incerta erit æqualitas dierum Astronomicorum etiam post adhibitam æquationem temporis petitam ex motu proprio Solis, adeoque incerta intervalla temporum inter observationes longo tempore inter se dissitæ, incertæ rationes temporum, quibus Planetæ, vel totam revolutionem perficiunt, vel earum partes, & alia multa, quæ omnia pendebunt ex positi-

## (VII)

positione motus diurni æquabilis, cujus nec demonstratio ulla esse possit, & aliqua sit inæqualitatis suspicio.

9. Quamobrem ita jam adhibentur Horologia Oscillatoria ab Astronomis, ut supponatur eorum motus æquabilis intra singulas revolutiones. Huic suppositioni innititur methodus determinandi differentiam longitudinis duorum locorum, observando horam Astronomicam, qua cernitur idem aliquod phænomenum, quod utroque ex loco cernatur eodem momento temporis, ut immersio alicujus maculae Lunaris in umbram Terræ, vel Ecclipsis alicujus satellitis Jovis, aut alia ejusmodi; ut innotescat quantum Meridies alterius loci præcedat Meridiem alterius. Huic pariter suppositioni innititur methodus determinandi differentiam Ascensionis rectæ duarum Fixarum vel Fixæ alicujus, & Planetæ observando appulsum utriusque ad Meridianum, vel ad eundem horarium, & redditum alterius ad ipsum post integrum revolutionem, & faciendo ut tempus integræ revolutionis definitum ab horologio ad tempus inter appulsum utriusque, ita gradus 360. ad differentiam quæsitum Ascensionis rectæ. Quanquam in prima methodo præter eam luminis celeritatem, viculus eodem tempore lumen perveniat ad omnia Terræ loca ab eodem objecti puncto, supponitur etiam æquabilitas motus Solis compositi ex diurno & annuo intra singulos dies, & in secunda similis æquabilitas intra eandem diurnam revolutionem Fixarum.

10. In iis omnibus casibus constat, uni horæ correspondere vicesimam quartam partem totius circuli, sive gradus 15. Quare error singulorum secundorum in tempore trahit secum errorem 15. secundorum in differentia quæsita; & error 4. secundorum trahit secum errorem integri primi. Sunt autem in Astronomia, quæ pendeant ex observationibus tantam præcisionem requirentibus, ut is error maxime turbet totam indaginem. Contingit id in determinatione annuæ aberrationis Fixarum, in Ascensionem rectam, vel in methodo Cassiniana determinandi parallaxim Martis Perigei, de quibus iterum inferius incidet sermo, quæ continentur intra arctissimos limites paucorum secundorum.

11. Jam vero licet horologia ita affabre constructa sint, ut nullus sit error in constructione, licet appareant adeo accurata, ut plura inter se collata ne in uno quidem secundo discrepent; tamen affirmamus, non solum non posse demonstrari eorum æquabilitatem, ne intra eundem quidem diem, neque per experimenta, & ut ajunt, A posteriori, neque ex ipsorum theoria, & a priori, adeoque non solum eorum æquabilitatem, & quæ inde deducuntur pendere ab Hypothesibus; sed etiam esse, cur jure timeri possit error aliquis, quem non liceat certo comprehendere, ac corrigere.

12. In primis per experimenta non poterit comprobari æquabilitas motus horologiorum, nisi adsit aliis motus, vel certo æquabilis, vel cuius variatio certo cognita sit, cum quo comparetur: Is autem motus nec adest hic in Terra: nam consensus plurium horologiorum solum evincit, siquæ sit variatio, eandem esse in omnibus, quod profecto contingere, si inæqualitatis causa esset omnibus communis; nec vero in

Cælo

## (VII)

Cælo est ejusmodi motus. Supponunt quidem Astronomi motum diurnum Fixarum esse æquabilem, tam si comparentur integræ revolutiones inter se dissimilæ, de quo diximus n. 7., quam si comparentur partes ejusdem revolutionis. At 1. ejus ipsius suppositionis vel nulla adducitur demonstratio, vel peccat ab ipso consensu cum horologiis, quod videtur præstare *Wolfius in Elem. Astron. cap; 2.*, ubi in observatione 7. affirmat, si pluribus diebus notetur appulsus Fixæ cujuslibet ad eundem circuli cælestis arcum, intervalla temporum inveniri semper æqualia; quod tamen solum evinceret æquabilitatem respectu integrarum revolutionum, non respectu partium ejusdem revolutionis. 2. Licet assumatur æquabilitas motus vel Fixæ, vel horologii intra eandem revolutionem; alterius æquabilitas cum altera comparari non posset; cum loca, in quibus intra eandem revolutionem videmus Fixas turbeantur per refractiones, & methodi omnes definiendi ipsas refractiones immediatè ab observationibus supponant æquabilitatem tam horologii, quam motus Fixæ ipsius.

13. At nec ex ipsa eorum theoria demonstrari, aut ullo modo probari potest æquabilitas, sive conferantur inter se binæ revolutiones integræ aliquo intervallo a se invicem disjunctæ, sive ejusdem revolutionis partes; immo erit, cur de inæqualitate suspicemur, licet nullum sit in constructione vitium. Aequabilitas Horologii Oscillatori pendet ex eo, quod ejus oscillationes sint omnes æquidiuturnæ: ad id autem requiritur 1. ut longitudi penduli maneat invariata: nam ea variata, & manente eadem gravitatis vi, quadratum numeri oscillationum, que absolvuntur dato tempore, est in ratione reciproca longitudinis penduli *juxta Galilei leges*. 2. ut gravitas sit semper constans: nam ea variata, & conteris mente seclusis, est numerus idem ut gravitas ipsa: 3. ut resistentia aëris, & frictionis, ac impulsus, qui habetur a pondere appenso ad trahendas rotas, & vincendam resistantiam, vel minima prolsus sint, vel æquabiliter agant.

14. Minimum quidem est ex hoc tertio periculum, est tamen aliud: nam perunctis oleo axibus, & dentibus rotarum, vel immutato pondere, quo ad resistantiam vincendam rotæ trahuntur, inventus discriminus aliquot oscillationum spacio 24. horarum, cuius rei *Graham* ipsum testem adducit *Bradleyus in Transactionibus Anglicanis ad annum 1734.*; unde colligitur actionem ejus resistantie non esse nullam; licet cum exigua ceasatur, multò fortasse minus periculi erit, ex ejus multo minore variatione intra modicum saltem tempus.

15. At quod ad penduli longitudinem pertinet, constat ejus virgam vi caloris produci, vi frigoris contrahi. Virga ferrea pedis unius hyberno tempore calefacta ad ignem excrevit quarta parte lineæ, observante *Pyccardo: & Phil. Dela Hire* notavit, virgam ferream, que per hyemem fuerat pedum 6., calefactam ad Solem æstivum excrevisse  $\frac{1}{4}$  lineæ. *Newtonus* autem concedit, debere in pendulis Horologiorum haberi incrementum ab hyeme ad aestatem non nihil majus quarta parte lineæ, quod secum trahit intervallo 24. horarum decrementum majus, quam 27. oscillationum. Differentia caloris per diem, & noctem est multo

## (VIII)

minor, quam per hystem, & astatem: est tamen aliqua. & sive plus  
ribus in locis non ita exigua. Quid ni iugur inde nonnihil celerius per  
noctem, quam per diem Horologia moveri suspicemur? Quid autem si ali-  
qua adsit adhuc occulta causa, cuius vi major aliqua variatio habeatur?  
Quod ea non innotescat, id non evincit nullam esse: sed fortasse nostram  
inscitiam arguit.

16. Observari solent per haec tempora annux evagationes Fixarum  
quamminimæ, tam in Declinationem, quam in Ascensionem rectam,  
quas memoravimus n. 10., & quarum theoriam exhibuit altera disserta-  
tio in *Coll. Romano* nuper habita. Evagationes in Ascensionem rectam  
determinantur observando variationem differentiarum, temporis inter ap-  
pulsum ad meridianum duplicitis Fixæ. Quoniam ea differentia alio anni  
tempore est diurna, alio nocturna; an non aliquot secundorum varia-  
tionem inducere poterit inæqualitas partium revolutionis Horologii, li-  
cet integræ revolutiones per plures dies exigantur ad motum diuraum  
Fixarum? Ea autem variatio posset efficere, ut vel apparerent dissentire  
observationes a theoria, dum consentiunt, vel consentire, dum dis-  
sentient.

17. Gravitatis quoque vim, ut & directionem, in eodem loco  
semper constantem esse, omnes Astronomi supponunt: verum ea quo-  
que suppositio ita demonstrari non potest, ut oppositum jure timeri pos-  
sit. Et quidem si vis ipsa ejus varietur; inducit variationem in motu  
penduli, ac proinde in Horologio; si autem directio vel mutetur, vel  
non sit perpendicularis ad illam proximani regularem curvam, ad quam  
reducitur irregularis figura Terræ, plurimum oberit usui quadrantis, ut  
inserius patebit: Hic interea in utrunque simul mutationem inquiremus.

18. Primum quidem æquè olim infederat omnium animis persuasio  
de gravitate invariata in omnibus Terræ locis. Testatur id, inter cete-  
ra, tanto cum plausu exceptum inventum illud pedis horarii, cuius ope  
transmitterentur & ad exterias nationes, ut ad Posteros mensurarum lon-  
gitudines nihil immutaret; quod inventum pendebat ab æqualitate gravi-  
tatis, & motus diurni Fixarum, quorum utrumque pro indubitate ha-  
bebatur. Detecta est inæqualitas gravitatis in diversis Terræ locis, per  
observationes, quæ supponunt æquabilitatem motus diurni Fixarum, vi-  
cujus irritum evasit præclarissimum inventum. Quid ni eodem etiam in  
loco, & intra eundem diem, aliquam mutationem gravitati contingere,  
suspicemur? Adest exemplum in Magnete. Quam multi errores in Geo-  
graphiam irreperferant ex suppositione, quod ubique acus magneticæ di-  
rigeretur ad polos? Compertum jam est, eam declinare ita, ut & in di-  
versis locis eodem tempore diversa sit declinatio, & pariter eodem in lo-  
co diversa diversis temporibus: imo intra eundem diem plusquam dimi-  
nio gradu variatur. Unde constabit vim quoque gravitatis eodem pacto  
non mutari, & post aliquod tempus, & intra eundem diem?

19. Directio quidem an perpetuo sit eadem, determinari posset,  
appendendo filum tenue cum pondere ex editissimo, & firmissimo loco ita,  
ut versus fundum radat paginam, in qua descripta sit scala exhibens par-

77

tes quamminimas, ut quamvis latitudo ipsa contineat . . . etiam plures . Ibi appareret, si qua esset variatio directionis gravitatis, & accuratissime definiretur: sed quoniam minimo aeris motu experimentum ipsum turbari posset, oportet tubo perpetuo filum includere, & per fenestram crystallo munitam identidem introspicere ipsius positionem . Id autem experimentum nondum uspiam novimus institutum . Huc fortasse revocandum est ex parte saltem id quod Bononiae contigit, quotiescunque Cassianus Gnomonis examen institutum est: fere semper, ut vide-re est apud Mansfieldum, qui rem gestam narrat in eo opere, quod de ipso gnomone scripsit, demissio pendulo ex centro foraminis, compertum est, nonnihil aberrare ab initio linea notato; & aliquando prorsus invariata altitudine . Semper tributus est is effectus motui laminæ, in qua foramen excavatum est: at fortasse aliquando vel is totus vel aliqua ejus pars pro-fluxit ex immutata directione gravitatis .

20. Si vero in ipsam gravitatis naturam inquiramus; erit pariter, cur timere liceat ejusmodi incommodum . Gravitatis causam alii repetunt a vi centrifuga materiae subtilis, vel girantis in uno, aut in pluribus vorticibus simul compositis, ut Cartesiani, vel quaquaversus agitate, per arcus circuli maximi, ut Hugenius: alii, Newtono duce, ex attractio-ne, vel impulsu, vel tendentia, vel cujuscunque alterius generis sit vis quædam, qua singulæ partes materiae in alias singulas trahantur in ratio-ne reciproca duplicata distantiarum a se in vicem .

21. In prima sententia non est, cur celeritas, & directio materiae illius subtilis multis de causis variari non possit, & immutare ipsius gravitatis vim, & directionem . Id ipsum fateantur oportet Cartesiani de vor-ticibus iis, per quos explicant vim directivam magnetis . Et quidem ubi materia vorticis per medios montium meatus, & solidorum corporum poros pervadare cogitur angustiore spatio, celerius moveri deberet, quam supra apertum mare: ac proinde etiam mutata locorum conditio-ne post longum tempus, ipsa vorticis celeritas mutaretur, que intra eundem quoque diem posset mutari nonnihil ex causis adhuc ignotis .

22. In hypothesi autem Newtoniana cum gravitas coalescat ex attractione in singulæ partes materiae, quarum actio in majoribus distantiis sit longe minor, pendebit & vis, & directio gravitatis ex densitate, & positione partium globi Terrauei, maximè earum, quæ propiores sunt . Ex inæquali densitate partium Terræ proximarum superficie explicata est superiore anno hoc ipso in loco diversitas gravitatis in diversis Terræ locis, stante Terra, dissertatione habita de ejusmodi inæqualitate; ut pariter tribus ab hinc annis in dissertatione de Figura Telluris demon-stratum est, montem, cuius actio æquivaleat sphæræ descriptæ radio unius milliarii, posse pendulum deflectere a positione linea verticalis plus quam 50. secundis .

23. Hic autem quoniam de variatione agendum est, quæ eodem die, & eodem in loco possit contingere; satis patet variata positione, & distantia partium globi Terrauei a dato corpore, mutari debere attractio-nem in eas partes . Mutari positionem partium globi ipsius intra eundem

diem; constat inter cetera ex mari<sup>e</sup> et<sup>t</sup>u, quo bin<sup>e</sup>, iugantes Oceanum undæ sibi e diametro oppositæ perpetuo feruntur in Occidentem, ac per vada, & freta, & sinus varios propagantur latè, affluentibus undis ad littora, ac reffluentibus per vices. In freto Britanico ascendit aqua aliquando ad altitudinem pedum 50. Investigabimus igitur hic, quem effectum præstare possit tam in augenda gravitate, quam in detorquendo in latus pendulo in ipso littore constituto moles aquæ diffusæ circa littus ipsum per 100. milliaria, & altæ 50. pedes, posito quod globus Terraqueus sit ejusdem mediæ densitatis cum aqua marina, compensato pondere partium solidarum per cavernas, & hiatus vacuos. Sed ad ejus problematis solutionem præniitemus breveni theoriam attractionum ipsarum, ac generaliter determinabimus constructione satis expedita, attractionem puncti collocati in data distantia a data materia disposita in quancunque figuram utcunque irregularem.

F. I. 24. *Lemma 1.* Trahatur corpusculum **C** positum in centro sphærae **A b B** æqualiter ab omnibus partis **E** sitis intra curva in quancunque **Q O V H** descriptam in superficie sphærae ipsius, & vis absoluta secundum **C E** resolvatur in duas per **C D**, **E D** alteram normalem plano circuli maximi **A B b**, quæ dicatur perpendicularis, alteram in ipso plano jacentem, quæ dicatur lateralis. Demum curva **Q O V H** projiciatur in planum ejusdem circuli in curvam **M R L** per rectas ipsi plano perpendicularares. Dico vim absolutam totius areæ curvæ projectæ **Q O V H** ad vim ipsius perpendicularis fore, ut est ipsa area ad aream curvæ **M R L** genitæ ex projectione.

Demonstratur. Dividatur area **Q O V H** per quadrantes **P B**, **P b**, infinitè proximos inter se, ductos ex polo **P** circuli **A B b**, in spatia **Q O V H**, quæ iterum per arcus **E F**, **e f** circulorum, quorum **P** polus, dividatur in spatiola **E f e**, & demittantur ab omnibus eorum punctis perpendiculara **E D**, **e d**, **F G**, **f g**, projectis arcubus **E e**, **F f** in segmenta **D d**, **G g** radiorum **C B**, **C b**, & arcubus **E P**, **e f**, in arcus **D G**, **d g** circulorum ex centro **C** descriptorum: divideturque area curvæ, **M R L** in totidem particulæ, quarum una **D d g G**. Ducatur præterea **C E**, & **e I** parallela & æqualis **D d**, occurrens **D E** in **I**. Satis patet areolas **E f**, **D g** æquipollere rectangulis, quorum bases **E F**, **D G** æquales, & quorum altitudines **E e**, **D d**. Est autem ob similia triangula rectangula **C D E**, **I I e**, **E e** ad **e I** æqualem **d D**, ut **C E** ad **E D**, sive ut vis absoluta ad perpendiculararem. Erit igitur altitudo rectanguli **E f** ad altitudinem rectanguli **D g**, sive area primi ad aream secundi, ut vis absoluta ad normalem. Exprimatur vis absoluta singulorum punctorum areolæ **E f** per unitatem, & vis absoluta totius areolæ exprimetur per ipsam areolam, ac proinde vis perpendicularis per areolam **D g**. Cumque eadem sit demonstratio pro omnibus particulis curvarum **Q O V H**, **M R L**, exprimet prima vim suam absolutam, & secunda vim ipsius perpendiculararem. Quare erit ea vis absoluta ad perpendiculararem, ut prima area ad secundam. **Q. E. D.**

25. *Cor. 1.* Si curva **Q O V H** habeat in totam superficiem hemisphærii,



(X)

$\pi$ , exhibet area  $MRP$  in circulum maximum. Cum igitur per Archimedem superficies hemisphaerii sit dupla circuli maximi, erit vis absoluta superficie totius hemisphaerii dupla vis normalis ejusdem. Vis autem lateralis elidetur tota actionibus contrariis.

26. Cor. 2. Variatis distantiis, varietur vis absoluta singulorum punctorum, quæ dicatur  $u$ , distantiæ vero dicantur  $x$ , quæ concipientur augeri per elementa  $d x$ , sitque ratio diametri ad circumferentiam circuli  $1$ . ad  $c$ , erit  $c x x$  circulus maximus sphærae, cuius radius  $x$ ,  $2 c x x$  superficies hemisphaerii,  $2 c x x d x$  elementum hemisphaerii, sive orbis hemisphaericus,  $2 c u x x d x$  ejus vis absoluta,  $c u x x d x$  vis perpendicularis. Data  $u$  per  $x$ , & integrata formula, dabitur vis perpendicularis totius hemisphaerii.

27. Cor. 3. Si in hypothesi Newtoniana vim absolutam singulorum punctorum exprimat  $x$  — fiet vis perpendicularis  $\int c d x = cx$ , quæ correctione non indiget, quoniam evanescente  $x$  evanescit & formula & vis; inde autem fluit hoc theorema. Si ad singula puncta hemisphaerii trahatur corpusculum positum in ejus centro vi, quam exprimat unitas divisa per quadratum distantiæ, exprimetur vis qua trahitur ab omnibus coniunctim secundum axem hemisphaerii per dimidiam circumferentiam circuli maximi ipsius.

28. Lemma 2. Si  $HO$  sit communis intersectio superficie sphærae  $F.2.$   $CH$ , cum pyramide  $CP$ , cuius basis  $P$  infinitè parva, & supra aream  $DR$  genitam ex projectione area  $HO$  erigatur cylindricum  $RM$ , cuius altitudo æquetur segmento  $NP$  lateris ejus pyramidis, ac vim, absolutam, qua singulæ ejus particulae trahunt corpusculum situm in  $C$ , exprimat in hypothesi Newtoniana unitas divisa per quadratum distantiæ, vim segmenti pyramidalis  $NP$  perpendiculararem exprimet cylindricum  $RM$  divisum per quadratum  $CH$ .

Demonstratur. Concipiatur dividi tota pyramis per superficies sphæricas æquali intervallo inter se distantes in particulas infinitè parvas ut  $Hb$ ,  $Ns$ , & cylindricum  $RM$  in particulas  $Dd$  planis eodem intervallo inter se distantibus. Vis absoluta cujuscunque particulae  $Ns$  æquabitur vi absolutæ  $Hb$ ; nam erit solidum  $Hb$  ad solidum  $Ns$ , ut basis  $HO$  ad basim  $NE$ , quæ bases sunt ut quadrata laterum  $CH$ ,  $CN$ ; adeoque erunt vires singulorum punctorum solidi  $Ob$ , ad vires punctorum  $Es$ , ut numerus punctorum in  $Es$  ad numerum in  $Ob$ , ac proinde summa omnium æquales. Aequabuntur ictus, & vires perpendicularares. Nam si ex singulis eorum punctis demittantur perpendicularia  $HD$ ,  $NS$ ; erunt omnia triangula  $NCS$ ,  $HCD$ , vel accurate vel æquipollenter similia, ac proinde vis absoluta singulorum punctorum utriuslibet particulae, & omnium simul, ad vim perpendiculararem in eadem constanti ratione  $CH$  ad  $HD$  vel  $CN$  ad  $NS$ , & alternando vis perpendicularis totius primæ particulae, ad vim perpendiculararem secundæ, ut absoluta primæ ad absolutam secundæ. Jam vero vim perpendiculararem particulae  $Hb$  exprimet particula  $Dd$  divisa per  $CHq$ : Nam vim absolutam particulae  $Ob$  exprimet ipsa  $Ob$  divisa per  $CHq$ , eritque eadem demon-

## (XII)

demonstratio lemmatis 1. vis cius absolute ad perpendiculariter in se ob ad particulam  $Rd$ . Igitur & vim perpendiculararem singularum particularum  $E\pi$ , exprimet quævis ex æqualibus particulis  $Rd$  divisa per  $CHq$ , & ob eorum numerum æqualem in cylindrico  $DM$ , & in segmento  $NP$ , exprimet vim perpendiculararem totius segmenti  $NP$ , totum cylindricum  $DM$  divisum per  $CHq$ . Q.E.D.

F. 3. 29. Ex hoc lemmate per constructionem expeditissimam invenietur & directio, & mensuram vis, qua in Hypothesi Newtoniana corpusculum  $C$  positione datum attrahitur in solidum  $IEH$  tuncunque irregulare. Describatur sphæra  $FAM$  radio quovis  $CP$ . In ejus superficiem incurat in recta quævis  $CEH$  incurrens in ipsum solidum in  $EH$ . Demissa  $AN$  normali ad planum cujusvis circuli maximi sphæræ, quod representetur per diametrum  $FM$ , in ea sumatur  $NO$  æqualis segmento  $EH$  rectæ  $CH$  demerso intra solidum, vel si plura sint ejusmodi segmenta, æqualis simul omnibus. Solidum  $POQ$  inclusum superficie descripta ab omnibus punctis  $O$ , & piano circuli  $FM$  divisum per quadratum  $CF$  exhibebit attractionem totius solidi  $IEH$  perpendiculararem ipsi piano  $FM$ . Si enim ex  $C$  intelligantur prodire infinitæ numero pyramides, quarum segmenta  $EH$  impleant totum solidum  $IEH$ ; totidem cylindrica  $NO$  descripta juxta lem. 2. implebunt totum solidum  $POQ$ .

F. 4. Prodeant jam ex  $C$  rectæ  $CR$ ,  $CS$ , sibi invicem perpendicularares, & erigatur  $CT$  perpendicularis plano  $SCR$ , quarum quælibet exhibeat vim solidi  $IEH$  figuræ 3. sibi parallelam hac methodo definitam, & completo primum rectangulo  $RCSV$ , tum rectangulo  $TCVX$  exprimet  $PX$  & directionem, & quantitatem vis ejus, qua punctum  $C$  attrahitur in datum solidum, compositam ex omnibus viribus, simul conjunctis: Nam vis puncti cujuslibet potest primo revolvi in duas alteram perpendiculararem plano  $SCR$ , alteram lateralem secundum ipsum planum, & iterum hæc posterior in vires parallelas rectis  $SC$ ,  $CR$ , quarum omnium summas expriment per constructionem rectæ,  $CS$ ,  $CR$ ,  $CT$ .

30. Si solidum  $IEH$  fuerit genitum ex revolutione curvæ cujuslibet  $IEG$  circa axem  $CIG$ , satis erit invenire vim parallelam ipsi axi, reliquis ad hanc normalibus elisis per actiones contrarias, & satis erit descripto quadrante  $FV$  circuli  $FAM$  determinare curvam tantum  $POS$ , tum cum revolvere circa axem  $CS$ . Imo posset ipsa curva  $IEH$  transformari in curvam  $Ieb$ , factis  $Ne$ ,  $Nb$  æqualibus ipfis  $CE$ ,  $CH$ . Nam fieret semper  $eb$  æqualis  $EH$ , & eadem demonstratione numeri 29. solidum genitum a curva nova  $IebG$  divisum per  $CFq$ . exhiberet vim prioris solidi. Porro si ducta  $ER$  normali ad  $CF$ , detur ex æquatione ad primam curvam  $CR$  per  $RE$ , adeoque etiam  $CR$  per  $CE$ ; statim determinabitur æquatio ad curvam  $IebG$ . Est enim  $CA \cdot CN :: CE = Ne \cdot CR$ . Quare factis  $CA = 1$ ,  $CN = x$ ,  $NE = y$ , erit  $CR = xy$ , qui valor si ponatur æqualis valori ipsius  $CR$  dato per  $y$ , habebitur æquatio.

F. 5. 31. Si solidum  $IEHG$  fuerit sphæra, cujus centrum  $D$ , corpusculo  $C$  sito extra ipsam, & radius  $FC$  fiat æqualis ipsi  $CD$ , recta vero  $NO$  fiat

## (XIII)

fiat æqualis dimidia  $EH$ , solidum  $POQ$  divnum per  $CDq$  exprimet dividam sectionem sphærae. Fuit autem  $PO @$  hemisphærii  $CDq$  æqualis. Ducta enim  $DL$  normali ad chordam  $EH$ , quæ ipsam bifariam secet, erit  $EL = NO$ ; ob angulos vero alternos  $DCL, CAN$ , & bases  $CD, CA$  triangulorum rectangularium  $CLD, CNA$  æquales, æqualia erunt ipsa triangula, ac proinde  $DL = CN$ , & in triangulis rectangularibus  $CNO, DEL$  ob singula latera singulis lateribus æqualia, erit & basis  $CO$  æqualis basi  $DE$ , ac punctum  $O$  describet superficiem hemisphærii. Quare dimidiā vim sphærae  $D$  exprimet dimidium ipsius divisum per quadratum  $CD$ , & totam vim ipsa sphæra ita divisa.

32. Si omnis materia ipsius sphærae esset collecta in centro, pariter exprimeretur eodem modo ejus vis. Habetur igitur hoc theorema. Punctum positum extra sphæram, trahetur ad ejus centrum eadem vi, ac si omnia ejus puncta essent in centro. Idemque contingit in orbibus omnibus sphæricis homogeneis, quoniam contingit in utraque sphæra interiore, & exterioro orbem terminantibus, ac proinde & in sphæris constantibus materia utcumque heterogenea, dummodo homogenea sit paribus a centro distantias. Si autem collocentur corpuscula in superficie diversarum sphærarum homogenearum; erunt vires ut radii sphærarum, quia erunt ut sphærae divisi per quadrata radiorum, sive ut cubi radiorum divisi per quadrata.

33. Si solidū fuerit orbis clausus superficiebus genitis a duabus semiellipsibus  $IHG, ibg$ , similibus quarum commune centrum  $D$ , sit autem  $C$  intra ejusmodi orbem; evanescet vis omnis destrueta per actiones contrarias. Ducta enim quacunque chorda  $EebH$  applicanda esset in  $N\Delta$  differentia ipsarum  $Ee, Hb$ , quæ nulla est; cum enim communis diameter utraque  $EH, eb$  debeat secare bifariam, oportebit esse  $Ee = Hb$ . Possent autem per hanc theoriam demonstrari pariter omnia quæ vel demonstrat Newtonus de sua attractione Principiorum lib. 1., vel inde deducuntur, licet ipse plerunque querens tantum rationem, in qua augentur vires in accessu ad corpora, omittat constantes, quæ variato corpore variantur, & necessariæ sunt ad comparandam vim diversorum corporum. Immo posset computari vis in pyramidem, cuius vertex in ipso corpusculo, & per eam computari vis in quodlibet corpus planis terminatum; unde etiam fueret solutio problematis, in cuius gravitatem hæc præmisimus, sed eam ex primo lemmate sic habebimus multo expeditius per seriem celerrime convergentem.

34. *Problema.* Attrahatur vi *Newtoniana* corpusculum  $C$  collocatum in communi intersectione  $FM$  plani horizontalis  $FEM$  cum piano verticali  $FNQMA$  singulis punctis existentibus inter ea plana, & alterum planum horizontale  $NQ$  usque ad datam distantiam  $CV$ , data præterea distantia  $CA$  planorum horizontalium. Resolutis omnibus viribus in tres sibi invicem perpendicularares secundum directiones  $CM, CE, CA$ , & clista prima actionibus contrariis, querantur reliquæ duæ.

Centro  $C$  intervallo  $CF$  sit quadrans sphærae, qui occurrat planis horizontalibus in semicirculis quorum radii  $CF, AN$ . Positis  $CF = x$ ,  $CA = 1$ ,  $CV = m$ , erit  $AN = \sqrt{x^2 - 1}$ ; & per notissimam circuli qua-

(XIV.)

quadratum erit segmentum  $FNQM$  semicirculi verticalis  $FYM = 2x - \frac{1}{3}x^{-1} - \frac{1}{20}x^{-3} - \frac{1}{56}x^{-5} - \frac{5}{376}x^{-7}$  &c. Jam vero attractio perpendicularis plano  $FYM$  superficie sphærica clausæ planis horizontalibus & verticali est per lemma 1. arca  $FNQM$  divisa per  $CFq.$ ; Quare si radius sphærae  $CF$  augeatur per elementum  $dx$ , ea vi ducta in ipsum  $dx$ , erit vis orbis sphærici clausi iisdem planis, & earum sphærarum superficiebus  $2x^{-1}dx - \frac{1}{3}x^{-3}dx - \frac{1}{20}x^{-5}dx - \frac{1}{56}x^{-7}dx - \frac{5}{376}x^{-9}dx$  &c. Ejus integrale est  $2l x + \frac{1}{6}x^{-2} + \frac{1}{80}x^{-4} + \frac{1}{336}x^{-6} + \frac{5}{3468}x^{-8}$  &c.  $+ Q$ , addita  $Q$  constanti si opus sit.

35. Ponatur pro  $CF = x$  primo  $CV = m$ , tum  $CH = 1.$ , & formularum differentia exhibebit attractionem orbis sphærici clausi planis horizontalibus, & superficiebus sphærarum, quarum radii  $CV, CH$ , quæ erit  $2lm + \frac{1}{6}(m^{-2} - 1) + \frac{1}{80}(m^{-4} - 1)$  &c. Si  $m$  fuerit numerus nimis magnus, evanescens  $m^{-2}, m^{-4}$  &c. Iis igitur omissis evadit vis =  $2lm - \frac{1}{6} - \frac{1}{80} - \frac{1}{336} - \frac{1}{3468}$  &c. Huic si addatur vis in dimidium hemisphærii  $HAI$ , quæ per num. 27. evadit  $= c = 3.141.$ , subducta summa, erit vis tota secundum  $CE = 2lm + 3.141. - 181. = 2lm + 2.96.$

36. Ut vero inveniatur vis normalis ad planum horizontale Attractione superficii  $NTQ$  est semicirculus, in quem projicitur, cuius radius equatur  $AN = \sqrt{xx - 1}$ . Ejus semicirculi area est  $\frac{1}{2}cx^2 - \frac{1}{2}c$ , & proinde attractio ejus superficiei  $\frac{1}{2}c - \frac{1}{2}cx^{-2}$ , ac attractio orbis  $NID = \frac{1}{2}cdx - \frac{1}{2}cx^{-2}dx$ , cuius integrale  $\frac{1}{2}cx + c : 2x + Q$ . Facto primum  $x = m$ , tum  $x = 1$ , & sumpta differentia formularum, erit vis in segmentum quadrantis hemisphærici radio  $CV$  descripsi jacens infra planum  $NQ, \frac{1}{2}cm - \frac{1}{2}c + c : 2m - \frac{1}{2}c = \frac{1}{2}cm + c : 2m - c$ . Vis totius quadrantis hemisphærici est  $\frac{1}{2}cm$ : Igitur vis residua quæsita =  $c : 2m + c$ , & evanescente  $c : 2m$  ubi numerus  $m$  est nimis magnus, ea vis evadit  $c = 3.141.$

37. Sit jam  $CA$  altitudo marum pedum 50. sive passuum 10.  $FAM$  latus:  $CV$  milliariorum 100., ut posita  $CA = 1$ , sit  $CV = m = 10000.$  Erit  $lm$  in logistica cuius subtangens 4333, sive in canone logarithmorum = 4., ac proinde in logistica cuius subtangens 1. erit 9.231. Vis igitur horizontalis corpusculi  $C$  secundum directionem  $CE = 2lm + 2.96.$ , erit = 21.422.; & vis verticalis 3.141. septima circiter ejus pars.

38. Semidiameter Terræ est passuum circiter 4000000., & unitatum  $ECA$  4000000 ea posita =  $r$ , est sphæra  $\frac{4}{3}\pi r^3$ , & proinde vis ipsius per num. 31. erit  $\frac{4}{3}\pi r = 1675516$ . Ac proinde gravitas ad vim horizontalem in ea maria ut 1675516. ad 21.422. sive ut 10000000. ad

## (XV)

128. Ea est ratio radii ad tangentem  $2^{\circ} 38''$ . , quæ esset aberratio pen-  
vitas ipsa ad vim verticalem , qua gravitas augetur , nam altera hori-  
zontalis eam ad sensum non auget , erit ut  $10000000. ad 19.$  , quæ proin-  
de respectu illius est prorsus insensibilis .

39. Aucta etiam notabiliter , vel imminuta marium extensione , utraque  
fere nihil variatur , nam  $l \approx m$  vix mutatur , multum mutato numero  $m$  , ubi is  
est magnus . Mutata vero altitudine aquarum , sive mutata unitate , mutan-  
tur attractiones fere in ipsius ratione dummodo  $m$  sit numerus satis magnus .

40. Patet hinc , nihil timendum esse horologii ex maris æstu , ne  
in ipso quidem littore ubi is est altissimus . Penduli autem directioni tan-  
tillum quidem in eo ipso littore , sed nihil in majoribus distantias , vi mul-  
tum imminuta . Posset easen per experimentum expositum num. 19. in-  
vestigari ibi ea attractio , & determinari per hanc theoriam ratio densi-  
tatis marium ad medium densitatem Terræ in hypothesi Newtoniana . Nam  
si major , aut minor attractio inveniretur , augenda , aut minuenda esset  
densitas marium in eadem ratione . Haberetur igitur Massa totius Terræ ,  
ejusque pondus .

41. Licet ex maris æstu nihil metuendum sit variationis in vi , &  
directione gravitatis ; tamen cum non constet nobis , multo majorem ali-  
quam mutationem partium non fieri in ipsis Terræ visceribus ; nec con-  
stabit ex gravitatis natura , nullam in ipsa mutationem accidere . Et in  
hisce quidem fusius immorari libuit , ut specimen aliquod exhiberemus  
severioris disquisitionis . Cetera celerius percurremus .

42. Telescopium casu in Hollandia inventum , ut communior opinio-  
fert , mox a Galileo perfectum , ac directum in cælum mirum quanto Astro-  
nomis praesidio fuit , & quam multa ejus ope detecta sint , eo quod ob-  
jecta & distincta repræsentet , & aucta . Ejus theoriam & constructionem  
videre est passim apud omnes Opticos . Theoria innititur duobus princi-  
piis , quæ habentur ab experimentis : 1. Lumen per idem medium pro-  
pagari per lineas rectas saltem exiguo tractu (quod unum experimenta  
immediate evincunt) : 2. In transitu a medio rariore ad densius refringi-  
ta , ut sinus anguli incidentiæ ad sinus anguli refracti sit in constanti ra-  
tione . Sub initium siebant tantum ex vitro objectivo convexo , &  
oculari cavo : tum ex 4. convexis . At Astronomi ea adhibent , que  
constant binis tantum convexis licet objecta invertant . In iis in foco communis  
lentis objectivæ & ocularis pingitur imago objecti distincta & objecto simili-  
lis , ubi collocatur micrometrum , cuius ad Telescopium applicatio sum-  
mum ipsi pretium adjecit . Longe autem utiliora erunt Catadioptrica vel  
Newtoniana , vel recentiora , in quibus speculum majus perforatur , &  
quæ brevissima vitreis longissimis æquipollent ; si iis aptetur microme-  
trum , & eorum usus evadat frequentior .

43. Constat micrometrum dupli quadro  $A B C D$  , &  $G E F H$  , E.8.  
quorum alterum ope chochlearum  $I K$  promoveri possit intra alterum vel sub  
ipso . Priori adnectuntur bina fila  $M L$  ,  $N O$  sibi invicem perpendicularia , posteriori filum  $P Q$  parallelum ipsi  $N O$  . Includitur instrumentum  
theatrum

(22)

thece, in cuius superficie exteriore duplice indice notantur tam integræ revolutiones, chochlearæ, quam partes revolutionis cuiuslibet ita, ut ubi fila  $PQ$ ,  $NO$  congruant, indices respondeant ipsis principiis divisionum. Inde fit ut minimæ partes distantie filorum, quæ ob augmentum Telescopii distinctius apparent, accuratissimè definiantur, ac minimæ mutationes ipsius distantie deprehendantur.

F. 9. 44. Si innotescat quem arcum celestem subtendat una aliqua distantia filorum: innotescet per regulam trium quæcunque alia, nam ob eorum arcuum parvitudinem sunt arcus ipsi ut rectæ, quæ illos subtendunt. Id autem definitur pluribus methodis: Omnia optima hæc est. In magna aliqua & nota distantia  $CA$  a lente objectiva Telescopii  $C$ , cuius lentis crassitatis respectu distantia ipsius coartemni possit, erigatur charta ipsi  $CA$  perpendicularis, in qua sint binæ rectæ parallelæ  $A$  &  $B$  in data distantia  $AB$  inter se. Dirigatur jam ita Telescopium ut fila micrometri tegant rectas ipsas  $A$ ,  $B$  & notetur ex indicibus, distantia filorum inter se quot particulis constet. Tum in triangulo rectangulo  $CAB$  datis lateribus  $CA$ ,  $AB$  invenietur & angulus  $ACB$ , quem continent ii duo radii  $ACM$ ,  $BCN$ , qui circa medianam lentem ita transeunt, ut ob æquales & contrarias refractiones in utraque superficie, directionem non mutent, ac contempta lentis crassitie haberi possunt pro rectis perpetuis se intersecantibus in  $C$ , ab objectis  $BA$  recta delatis ad eorum imagines  $NM$ : is enim angulus mensurat eum arcum celestem, quem interciperent rectæ  $CA$ ,  $CB$  productæ, & quem distantia filorum  $MN$  in Cælo subtendit. Immo & pluribus ductis parallelis inter se distantibus dato intervallo appareret, an sit aliquod vitium in instrumento ex inequali spirarum crassitie; innotesceret enim, an partes notatae ab indicibus pro varia filorum distantia sint proportionales arcubus in cælo subteosis.

45. Usus ejus instrumenti est primo in definiendis diametris apparentibus Planetarum ita admovendo ad se invicem fila parallela  $PQ$ , ut apparente contingere utrumque Planetae limbum. Ex diametris autem apparentibus variatis definiuntur rationes distantiarum objecti ab oculo, quæ sumuntur reciproce proportionales ipsis diametris apparentibus ubi hæ exiguæ sint, ut in omnibus cælestibus corporibus contingit. 2. Definitur differentia declinationis & ascensionis rectæ duarum Fixarum, vel Fixarum & Planetarum, quando prima differentia ita exigua est ut campum Telescopii non excedat: ita enim disponuntur fila parallela  $NO$ ,  $PQ$ , ut ea ab objectis percurrantur, quo casu fila ipsa respondent exiguis arcubus circulorum parallelorum, qui motu diurno percurruntur, & filum  $LM$  utrique perpendiculariter denotat arcum circuli horarii transeuntis per polos. Hinc ex eorum filorum distantia  $RS$  definitur distantia parallelorum ipsorum, qui percurruntur motu diurno, quæ est differentia declinationis, & ex differentia temporis, quo appellant ad filum  $MN$  definitur differentia Ascensionis rectæ juxta num. 9.

46. Errores in observationem possunt irrepere ex immutata positione filorum ob immutatam tensionem, ex crassitie filorum, ex tremore illi objectorum cælestium, qui ab aeris agitatione pendet, & aliis ejusmodi,

modi, quæ requirant diligentiam vel Artificis vel Observatoris. Nos alia errorum pericula persequemur, quæ penitus evitari non possunt, & hypotheses non demonstratas, quibus inoituncur hi usus.

47. In primis ex diffractione celebri radiorum detecta a P. Grimaldo, qua radii lucis in transitu prope corporum margines in eos infleuntur quasi attracti, accedunt radii ad fila micrometri ita, ut objectum lucidum in medio tenebroso videatur illis adhærente quando adhuc distat. Idem quoque contingit ex eo, quod, cum non omnes radii provenientes ab eodem objecti puncto, uniantur in foco lentis objectivæ, ac deinde in fundo oculi in unicum prorsus punctum; imago objecti lucidi in medio tenebroso augetur nonnihil. Ex utroque capite necesse est augeri diametros apparentes Planetarum, nec omnino definiri potest quantum sit id incrementum, cum pendeat magna ex parte ex ipsa structura lenti Telecopii, & multo magis ex dispositione oculorum, quorum alii minorem, alii majorem requirunt radiorum vim, quos percipient.

48. Utraque causa obest nonnihil definitioni accurate differentie Declinationis, & Ascensionis rectæ; quanquam in iis sepe uteunque corrigi potest error determinando crassa oculorum aestimatione tempus, quo centrum Fixæ vel Planetæ appetet in medio filio. Atque ea fortasse de causa saltē magna ex parte *Cassino Filio* observanti annuam evagationem Sirii in declinationem annis 1714. & 1715. ea obtigit tantum 11. secundorum, ut videre est in *Comment. Acad. Paris.* ad an. 1717., cum ex plurimis observationibus circa ejus stellæ evagationem annuam, debuerit esse secundorum circiter 27. Direxit is Telescopium trium pedum immobile in plano Meridiani, notavitque Fixam jam perradere limbum inferiorem fili, jam superiorem, jam per centrum ferri, ita tamen, ut tota evagatio non excederet crassitatem fili, & diametrum apparentem Fixæ, quorum alterum definit secundis 6. alterum 5. Debuit nimurum apparere Fixæ limbus adhærens limbo fili, cum ab eo distaret nonnihil errore circiter secundorum 16. Nisi forte & variatæ refractioni tribuendas est ex parte is error, cuius rei inter cetera indicium est, quod Fixa ter intra cum annum ad fili centrum redierit.

49. Hinc oritur etiam difficultas determinandi cum ea precisione, qua aliquando opus esset, momentum temporis, quo Fixa ad filum appellit, cui diutius adhæret, quam deberet, quæ difficultas ex tremore apparenti Fixarum adhuc augetur. Mirum sane *Cassinum* ipsum in ea observatione, quam instituit anno 1736. paterna methodo ad investigandam parallaxim Martis Perigæi, & quam in recentissimis Elementis Astronomiæ profert in præliminaribus ad Astronomiam num. 4. potuisse determinare appulsum vel Fixæ, vel Planetæ ad filum micrometri usque ad octantem secundi horarii. Profert enim differentiam ascensionis rectæ Martis & Fixæ in observatione matutina diei 13. Octobris 11. 37". + ubi cum tota parallaxis vix excederet secundum horariorum, ab ipso secundi octante pendebat consensus cum paterna determinatione parallaxeos horizontalis Solis secundorum 10. Illa nimurum tanti viri, tam diurna exercitatione opus erat ad eos limites attingendos, ad quos ceteris aspirare non licet.

/ XVIII /

50. Quidquid autem sit de ejusmodi observatione, illud certe patet; quæ pertinent ad distantias & magnitudines Planetarum esse maxime incerta, cum repudiato & *Hipparchi* anagrammate, & Dicotonia Luna, omnia pendeant ex aliquot observationibus parallelos in Ascensionem rectam Martis Perigei, quæ parallaxes commissio errore unius, vel alterius secundi horarii in appulsu vel Martis, vel Fixæ ab fulm horariorum, vel duplicantur vel evanescunt.

51. Quanquam quod attinet ad parallelos, nihil etiam erui potest nisi ponatur refractio vel cognita intra pauca secunda in magnis etiam distantiis a Zenith, vel prorsus æqualis in lumine Planetarum & Fixarum in iisdem altitudinibus. Primum nullo modo obtineri potest; nam nec semper constantes sunt intra pauca secunda ob mutationem Atmosphæræ: nec immediate definiti possunt per observationes, nisi supposito quod parallaxis sit nulla, vel cognita, & præterea supposita motus diurni æquabilitate, cum distantia a Polo invariata, supposita æquabilitate horologii, & supposito quod refractiones, non dimoveant objecta e plano verticali, ex quibus principiis potest determinari simul Altitudo Poli, distantia objecti vera a Polo, ejusque vera altitudo supra horizontem. Sed inde patet, eas immediate observari in Fixis solum ex pluribus principiis non demonstratis, inter quæ, ob figuram Atmosphæræ non sphæricam, jure dubitari potest an sint aliquæ refractiones azimutales, quæ ab ipso plano verticali objecta dimoveant; in Planctis autem immediate observari non posse potissimum ob incognitas parallaxes.

52. Refractiones autem Fixarum, & Planetarum paribus altitudinibus æquales esse potissimum intra pauca secunda demonstrari omnino non potest. Diu Astronomi sensere oppositum. Hac ætate eorum sententia passim rejicitur, sed sine uila demonstratione sive e natura luminis, sive ex observationibus. Sive enim refractio pendeat a celeritate luminis, & attractione in corpora, quod *Newtono* placet, sive ex quacunque alia causa, non demonstrabitur in utroque lumine omnia esse paria: cumque ejusdem radii partes aliæ magis refringantur, aliæ minus, juxta notissima *Newtoni* experimenta; non est cur diversi radii è diversis manantes fontibus, & post tam diversum iter delati diverso etiam fortasse temporis intervallo, nonnihil diversam non possint habere refractionem in Atmosphæræ. Atque hæc de natura luminis; nam quod pertinet ad observationes cum refractio elevet objectum in plano verticali, & parallaxis deprimat, si quidquid ex refractione detrahitur addatur parallaxi; omnes observationes necesse est eodem modo se habere.

53. Et quidem cum micrometri maxima utilitas censeatur esse, quod independenter a refractionibus determinet differentiam Ascensionis rectæ, & Declinationis, supposito nimirum, quod in altitudine eadem eadem sit refractio omnium cælestium corporum; patet etiam hujus instrumenti usum pendere ab hypothefibus non demonstratis. Quanquam pendet etiam a luminis propagatione usque ad Atmosphæræ, cum supponat objecta, quæ comparantur vel videri in ea directione in qua sunt, vel

(XXX)

vel & que omnia dimoveri loco , sed de ea , cum & quadrantis usui maxime oblit , agemus infra .

54. Vices micrometri supplebat ante ejus inventionem reticulum eodem in loco constitutum , & adhibetur etiam nunc aliud micrometri genus constans 4. filis se intersecantibus ad angulos semirectos , in quo disposito uno e filis ita ut ab altero objecto percurratur motu diurno , definitur differentia ascensionis rectæ ex appulso utriusque objecti ad filum huic perpendiculari , & differentia declinationis ex mora alterius inter fila transversalia ; vel inter perpendiculari , & alterum e transversalibus . Prodiit autem tribus ab hinc annis in *Collegio Romano* Dissertatio *De novo telescopii usu ad objecta cælestia determinanda* inserta etiam *Actis Lipsiensibus* anni 1740. in qua traditur methodus adhibendi loco micrometri ipsum circularem Telescopii campum notato solum tempore ingressus in ipsum , & egressus . Cetera iisdem difficultatibus obnoxia sunt : postrema hæc methodus nihil sibi timet a diffractione luminis , & ab incremento objecti orto a radiis aberrantibus juxta num. 47. : nam ea augent tantum , sed & que quaquaversus , campum ipsum , ac proinde figuram ejus circularem non turbant , cui figuræ , ipsa methodus innititur . Quamquam ea ceteris micrometris præstat etiam , quod non iadiagat lumine , quod illa cum requirant ad illustranda fila , fit , ut adhiberi non possint in minoribus Stellis , quæ ejusmodi lumine obruuntur , dum earundem ingressus in campum obscurum Telescopii . vel egressus facile determinatur .

55. Quadrantis Astronomici , & dioptarum Telescopiarum descriptionem accuratissimam adnexuit *Philippus Dela Hire* suis tabulis Astronomicis , ubi & plures methodos explicavit expendendi positionem diopterum ; ex quo eam hausit *Volfius* aliisque ita , ut jam ipsis Astronomis Tyronibus notissimum sit id instrumentum . Constat quadrante circuli F. 10. *AIC* cujus limbus divisus sit in gradus & saltem dena minuta , ita ut ope scalæ singula minuta prima obtineri possint ; imo si pro integro quadrante adhibeat sector pauciorum graduum , & longioris radii , etiam secundorum decades , vel singula secunda . E centro *I* pendas filum *IB* cum pondere , & lateri *AI* adnectitur Telescopium *DE* , in cuius foco duo fila alterum horizontale alterum verticale se intersecant ad angulos rectos , ita ut *Linea Fiducia* sit parallela lateri *AI* . *Linea* autem *Fiducia* dicitur ille radius , qui non mutata directioae per lentem objectivam defertur ad ipsam intersectionem filorum .

56. Methodus , quæ censetur omnium ap'issima , ad expendendam positionem lineæ Fiducia , est hæc . Dirigitur Telescopium *DE* ad aliquod objectum vertici proximum prius facie observa e. g. in Occidentem , tum convertitur in Orientem , ita tamen , ut si distantia objecti non sit satis magna , vitrum objectivum Telescopii , eundem in locum redeat , & si in utraque observatione filum transeat per primum quadrantis , vel sectoris punctum , vel & que ab eo distet , censetur Linea Fiducia rectè constituta ; sin minus ; punctum medium inter utraque fili positionem habetur pro primo instrumenti puncto , quam ob causam divisionis

## (XX)

visio continuatur nonnihil ultra punctum  $A$  versus telescopium, ut error deprehendi possit, & notari. Ea methodus facile demonstratur sed ex suppositione quod filii positio, & directio radii advenientis maneant. Quamobrem cum pro objecto verticali sumi soleat ab Astronomis Fixa aliqua, & observari ejus transitus per Meridianum binis diebus, si aut directio filii, ex variata directione gravitatis interea mutetur, aut radius a quacunque causa non eadem directione deveniat utroque die, error committi necesse est.

57. Usus omnis quadrantis est in capienda elevatione objecti supra horizontem vel distantia a Zenith. Directo enim Telescopio  $DE$  ad objectum  $S$  ita, ut id appareat in ipsa intersectione filorum, quae se secant ad angulos rectos, vel in filo horizontali prope ipsam intersectionem; arcus  $AH$  definitus a filo penduli  $IB$  sumitur pro distantia  $ZS$  objecti  $S$  a Zenith  $Z$ , & ejus complementum  $HC$  pro altitudine  $RS$  supra horizontem. Cum enim concipiatur filum perpendiculari  $BI$  productum debere abire ad Zenith  $Z$ , & latus  $AI$  esse parallelam semite radii advenientis, evadunt anguli  $AIB$ ,  $ZES$  æquales.

58. Quadrantes etiam a Veteribus adhibiti sunt cum pinnulis vel rimulis, per quas in objecta collimabatur. Hæc, quæ dioptras Telescopicas habent, iis præstant, tum quia ope Telescopii ab omnibus distinctè videntur objecta; tum quia, cum ea videantur aucta, evidentius determinatur eorum positio; tum quia etiam interdiu videri possunt Planetæ, & Fixæ lucidiores: quanquam *Hevelius*, *Halley* teste, tam accurate observavit ope pinnularum, ut ejus observationes, cum observationibus institutis per dioptras telescopicas accurate consentirent.

59. Solent etiam collocari quadrantes fixi in plano Meridiani vel alterius verticalis: in quibus non adhibetur pendulum, sed regula mobilis girans circa centrum instrumenti circunfert telescopium. Ejus regulæ motus posset ope rotarum ita multiplicari, ut minimæ ipsius mutationes satis evidenter perciperentur: sed ne is motus inæqualiter propagaretur, & celeritas rotæ velocissimæ ultimum indicem circumferentis evaderet inconstans, quod in communibus rotarum dentibus fieri necesse est; oporteret adhibere dentes vel Epicycloidales, vel ab Epicycloide derivatos juxta Theoriam *D. Della Hire*, qui integro & elegantissimo opusculo explicavit applicationem hujus curvæ, ad conservandam æqualitatem in communicatione motus per rotarum dentes.

60. Omnim autem instrumentorum hujus generis censemus utilissimum quadrantem verticalem mobilem circa centrum circuli horizontalis, quod instrumentum *Tycho* appellavit *Azimuthale*. Nam neque ullam metueret variationem penduli, si qua est, ut nec quadrans constitutus in Plano Meridiani; & ut per quadrantem meridianum potest unica observatione definiri distantia a Zenith, & appulsus ad Meridianum ipsum, sic ejus instrumenti ope definiretur semper appulsus ad quemlibet verticali circulum præter ipsam distantiam a Zenith: positio quoque Meridiani ejus ope facile definiretur per stellas circumpolares ex suppositione, quod refractio agat tantum in planis verticalibus, notando maximam.

## (XXI)

evagationem Fixæ circumpolaris in ortum, & in occasum, & sumendo positionem intermedium inter utrumque e verticalibus eas evagationes definiuntibus.

61. Cavendum diligenter, ne quis sit error in divisionibus; ne fila dioptræ, tensione mutata, punctum intersectionis mutantur: cui malo occurrit *Gravemus* adhibendo fila argentea distenta ope laminæ, elasticæ; ne Instrumento par calorem dilatato, ac per frigus contracto, construuntur enim ex metallo, vel centrum loco moveatur, vel limbus distorqueatur; ne attractio lucis in fila errorem aliquem inducat, ut in micrometro; ex quibus omnibus, si de secundis agatur, erit semper periculum non contempnendum.

62. Adhuc tamen, iis etiam omissis, usus quadrantis pendet ab hypothesis non demonstratis tam circa directionem gravitatis, quam circa propagationem luminis, ex quibus & maxime incerta sunt multa, quæ ipsius ope definiuntur, & jure timeri possunt errores aliquando etiam sat magna: tam in sententia Terræ quiescentis, quam in hypothesi Terræ motæ.

63. In primis supponitur pendulum quadrantis congruere cum linea verticali. At id quam incertum sit demonstratum est n. 17. & sequentibus, ex quibus constat sive gravitas explicanda sit per Vortices, sive per Attractionem *Newtonianam*, posse pendulum deflectere a linea verticali, immo posse intra eundem dicem variari. Et quidem in Hypothesi *N. W. toniana* non solum potest, sed debet pendulum deflectere ob montium irregularem positum, & ob inæqualem densitatem partium Terræ superficie proximarum. In dissertatione *De Figura Terræ* demonstratum est actionem in montem, cujus materia equivaleat actioni sphæræ habenti radium unus milliarii, prope ipsum montem deflectere pendulum a linea verticali plus quam 50. secundis, ut diximus num. 22. & cum idem præstet hiatus similis prope superficiem Terræ, demonstratum est siccirco maxime incertam esse inæqualitatem graduum Terræ tam decantatam per hæc tempora. Hic ex num. 38. colligitur in ipso littore *Anglicano* detorqueri pendulum in undam advenientis aestus per 2°. 38'". existente aquarum altitudine passuum 10. Et si ea altitudo augeatur aberrationem augeri fere in ratione ipsius, constat ex n. 39. Hinc in ea juga montium, quæ supra camporum, vel marium superficiem elevantur, & longissime protenduntur, si eorum altitudo sit passuum 600. aberratio erit 2°. 38'. sane magna.

64. Variatio directionis potest detegi juxta num. 19. At hæc aberratio non potest, quia linea verticalis positionem non habemus iadependerter a directione gravium, per quam ea investigatur, supponendo quod congruant. Quid vero, si præter Attractionem *Newtonianam* detorqueatur pendulum ab aliqua vi magnetica, vel ab attractione aliqua alterius generis in materiam latentem infra superficiem Terræ? Cum adeo multa Attractionum genera per hæc tempora detecta sint; non erit inanis is metus. Quadrantes Fixi, & Gnomones eretti ad caput lineæ Meridianæ nihil metuunt sibi a variatione directionis: est tamen, quod metuant ab hac

hac aberratione in prima sui constructione , vel dum restituuntur . Riccardi *Vranoburgi* invenit lineam meridianam *Tycbosis* aberrare a justa positione 18. minutis differentia sene enormi . Quis tantum errorem *Tycho-ni* adscribat ? An non potius suspicari licebit , dum uterque Astronomus longo temporis intervallo determinat positionem gnomonis demissio pendulo , hoc alteri ad ortum aberrasse alteri ad occasum ? Nam inde patet consequi mutationem lineæ meridianæ .

65. Jam vero , quod ad lumen pertinet norunt Astronomi altitudinem supra horizontem corrigendam esse , & eam corrigunt solum decreta refractione , quæ objecta elevat , & Parallaxi quæ deprimit . At in primis investigatio & refractionis , & parallaxeos pendet a suppositionibus non demonstratis , ut patet ex num. 51. Immo refractiones nondum censentur esse prorsus cognitæ , ne admissis quidem iis suppositionibus . De refractionibus diu Astronomi ne cogitarunt quidem , diu censuerunt esse nullas ultra quinquagesimum gradum ; in qua sententia fuit & *Tycho* & *Ricciolius* , diu eas investigarunt ex sappositione quod refractio fieret in unica superficie , & non perpetuo radius curvaretur ; quæ postea reiecta sunt ut omnino falsa . Quid si eodem pacto falsum sit , quod pro certo habetur , nunc refractiones Planetarum , & Fixarum æquales esse ?

66. At unde constat non aliam correctionem adhibendam esse altitudinibus præter eas duas ? Lumen propagari per lineas rectas in modico intervallo per aerem , experimentis deprehendimus . Inde arguimus lumen a Fixis , & Planetis ad Athmosphærā recta devenire . Quid si vi quapiam nobis incognita in aliquam cœli partem certa lege detorqueretur ? Putamus omnino id non contingere : sed ea hypothesis est , quam demonstrare non possumus . Si medium , per quod ii radii deveniunt non est uniforme ; linea , per quam deferentur , non erit recta : At eujusmodi sit id medium non est satis compertum . Quid si per Athmosphærā solarem , quæ juxta sententiam *D. De Mairan* tam bene ab ipso comprobata , aliquando etiam ultra Terram extenditur , fiat aliqua lucis refractione ? Quid si Vortices adsint , quales excogitavit *Bernoullius* , nimirum diversæ densitatis , ad concliandos vortices ipsos cum regalis *Kepleri* ? An non , dum eos vortices lumen permeat , resfringetur ? Immo cum eos velit ejusdem densitatis cum Planetis , quantam lucis perturbationem oriri necesse est ! Quanquam nobis tum propter plurima alia , tum hac ipsa de causa ii vortices non placent . At illud sene constat propagationem luminis per lineas rectas esse suppositionem non demonstratam , immo de qua timeri possit . Quid ni ex aliqua ejus directionis mutatione pendeat , & exigua illa variatio inclinationis Ecclipticæ , de qua tam acriter disputatum est , & illa mutatio altitudinis Poli , quam *Manfreduis* ajebat , sibi semper in Astronomia inexplicabilem esse visam ?

67. Multo autem plura metuenda sunt a propagatione successiva luminis . Putant Astronomi lumen propagari ita successivè , ut semidiame-trum orbis Magni percurrat 8. minutis , idque erui censent ex phænomenis satellitum Jovis . Hinc a Jove ad Terram aliquando diveniret minutis 48. , aliquando minutis 32. & a Saturno aliquando minutis 84. si bene desi-

|||||

definitæ suæ distantiaz eorum Planetarum respectivæ a Sole : a Fixis autem , si admittatur illa immanis distanciæ , quæ nunc ab omnibus admittitur , post plures menses . Ea omnia ante constitutam Astronomiam , cuius constitutio supponi non potest ante demonstratum usum quadrantis , sunt prorsus ignota : & in hac ipsa Astronomiæ luce , suppositis omnibus , quæ Astronomi supponunt , non est demonstratum , imo nec potest satis probabiliter definiti , an omne lumen equè celeriter propagetur , an aliquid resistentiæ patiatur a medio , quod pervadit , & alia ejusmodi . Quare incertum prorsus est tempus , quo a singulis objectis lux devenit , & incerta celeritas .

68. At in primis seclusa refractione , & admissa propagatione lucis per lineam rectam , directio radiorum non definiret loca , in quibus tunc objecta sunt , sed in quibus erant quando lumina emiserunt : ac proinde ad habendum locum verum addendus erit totus motus conveniens temporis , quod lumen impedit . In Hypothesi Terræ Motæ , in qua Fixæ semper sunt in eodem loco , & Planetæ solum moveantur motu proprio satis lento circa Solem , ea correctio nihil turbat loca Fixarum visa , turbat autem non nihil loca Planistarum , ita ut e.g. congressus & oppositiones non contingant eo tempore , quo observantur , nec eo , quo lumen discessit ab altero eorum , cum non eodem tempore ab utroque discesserit : Sed ob motum adeo lentum , non erit ita magna ea turbatio .

69. At in sententia Terræ quiescentis , ob tantam celeritatem motus diurni & in Fixis , & in Planetis mirum , quantum ex ea suppositione omnia perturbantur ! Si lumen a Fixa aliqua deveniat ad Terram tempore , cui correspondent aliquot revolutiones diurnæ accuratè ; apparebunt , ubi sunt , regressæ nimirum unde discesserant , cum lumina emiserunt . Si tempus sit aliquanto majus , oportet eas progressas esse in suo parallelo per arcum , qui tali excessui correspondet , nimirum pro singulis horis per gradus 15. Quare si is excessus in aliis sit major , in aliis minor ; aliæ magis , aliæ minus dimovebuntur loco , & facies cœli erit longe alia , quam quæ apparat : aliæ Ascensiones rectæ Fixarum , aliæ Longitudines , aliæ Latitudines , quam quæ apparent . Sic in Planetis si a Saturno lumen deveniat 84. minutis , & a Sole 8. , distabit Saturnus a loco viso per gradus 21. Sol per 2. ; adeoque , quando videbuntur esse in conjunctione , distabunt gradibus 19. Et is error erit major , aut minor pro diversa distantia , vel celeritate luminis .

70. Hinc duæ difficultates emergunt in sententia Terræ quiescentis .  
 1. Sint duæ Fixæ in directum , sed prima ob propagationem successivam appareat occidentalior loco suo per quadrantem , secunda per 3. quadrantes . Apparebunt distare per diametrum sui paralleli . Quoniam autem ob Precessionem Aquinoctiorum Fixæ aliæ ad polum accesserunt , aliæ recesserunt ; oportet a temporibus *Hipparchi* , vel *Ptolomæi* mutatum esse circulum parallelum , & in stellis polo proximis maximè mutatum . Quare oporteret distantiam illam apparentem diametri ejus paralleli , in quo sunt , mutatam esse : Et tamen positio Fixarum ad se invicem est prorsus eadem . 2. Si phænomena Planetarum congruant cum systemate Tychonis ,  
 sub-

## (A A I V )

substituta figura Elliptica pro circulari, & admissa propagatione lucis instantanea, ut re ipsa congruant; eadem omnino discrepabunt, admissa propagatione successiva: nam multo magis aut multo minus eorum loca turbabuntur, quam locus Solis pro majori, vel minori intervallo temporis, quo ab iis lux desertur in Terram.

72. Is difficultatibus occurri potest negando propagationem successivam. Sed ea admissa; prima dissolvi non potest, nisi dicendo excessum illum temporis supra integras revolutiones Fixarum esse in omnibus Fixis vel nullum, vel æqualem, cuius oppositum non evincitur; Secunda non dissolvitur, nisi dicendo Focum Orbitæ cuiusvis Planeta non esse in Sole, sed in eodem Parallelo procul ab ipso, per arcum, quem Sol percurrit motu diurno eo intervalllo temporis, quod lux impedit in percurrentia differentia distantiarum Solis & Planetæ. Quare is Focus in Mercurio, Venere, & Marte, qui possunt accendere ad Terram proprius, quam Sol, & longius recedere, jam erit Orientalior Sole jam Occidentalior: In reliquis semper Occidentalior; sed in omnibus nutabunt orbitæ pro accessu vel recessu Planetarum à Terra. Ea correctione adhibita systemati *Tychoonis* Sol, ut patet, adhuc semper appareret in communi Foco omnium orbitalium. At ea, utut durior, necessario admitti debet, nisi potius in hac sententia rejiciatur propagatio successiva luminis Planetarum, & phænomena Satelliticum Jovis aliunde repetantur. Utrumlibet autem dicatur, oppositum demonstrari non poterit.

73. Demum in Hypothesi Terræ motæ adhibenda est correctio ex aberratione luminis *Bradleyana*, quæ in sententia Terræ quiescentis nulla est. Sed de ea fusijs actum est in altera dissertatione nuper habita in *Collegio Romano*.

74. Patet ex hisce omnibus, quam multa implexa, incerta errorum periculis obnoxia supponunt primæ ipse observationes, quibus inititur Astronomia; sunt autem multa graviora circa methodos definendi orbitas Planetarum, & alia ejusmodi, quæ non sunt hujus loci. Quid igitur? Abjiciendum Astronomiæ studium? Desperandum de ejus progressu? Haud sane. Cautè admodum procedendum; Seligendæ hypotheses, quæ cum motibus apparentibus maximè consentiant: Si quo sint verorum motuum determinations, quæ cum principiis Mechanicis, & cum motibus apparentibus probe congruant, ex non pro principiis immediate demonstratis per observationes, sed pro felicissimis humani ingenii partibus habendæ sun: .

